MEMORIÆ ÆTERNÆ FERDINANDI 2. UTRIUSQUE SICILIAE REGIS...

Germano Petronzio

MEMORIÆ ÆTERNÆ

FERDINANDI II.

VTRIVSQVE SICILIAE REGIS

FVNEBRIS LAVDATIO

A

GERMANO CAN. PETRONZIO

HABITA IN MAIORI TEMPLO CIVITATIS S. GERMANI

INTER EXEQVIAS

PER AMPLISSIMVM ET BENEMERENTISSIMVM D. P. ABBATEM

SIMPLICIVM PAPPALETTERE

DIŒCESEOS CASINATIS ANTISTITEM

PONTIFICALI RITV CELEBRATAS

MAXIMA HOMINVM CVIVSQVE ORDINIS FREQUENTIA

PRID. ID. IVN. MDCCCLIX.

NEAPOLI

CAIETANVS RVSCONI EXCVDEBAT

FERDINANDVS II. annos XX. natus, perpetuo a majoribus acceptam, regiam obtinuit dignitatem. Ubi vix Neapolitanorum et Sicilicnsium adeptus est regnum, id in primis negotium sibi credidit dari, ut in religionis cultu plurimum studii conferret. Quanti fecerit catholicorum leges, quantaque easdem sanctitate impleverit, et non nihil sategerit, ut sartae tectae a civibus haberentur, facta, melius quam verba, declarant. Illud non praetereundum, quod templa vel nova a fundamentis erigenda, vel vetera ad pristinam dignitatem ac munditiem restituenda curavit. Quum satis exploratum haberet leges sine religione vanas proficere, nihilque esse tam detestabile tamque pestiferum civitatibus, quam mores dissolutos et immoderatam rerum omnium licentiam, multum in hoc posuit operae, ut in locis sui juris atque ditionis multiplicarentur instituta, ubi pueri puellaeque, humilioris praesertim fortunae, ad pietatem, probitatem, industriam, aliasque artes bonas erudirentur. Quid magis religioni consentaneum, quid publice utilius, aut privatim beneficentius potuit afferre, his temporibus, quibus juventus, capta pravis cupidinibus, in ignaviam, in luxum, in voluptates corporis, et alia hujuscemodi omnia adeo prolapsa est, ut quavis opera refraenanda et coercenda sit?

Ad hanc pietatem plura etiam animi bona accesserunt. Eluxit in eo, praeter memoriam, in qua haerebant quaecumque semel audierat vel viderat, magna ingenii celeritas. Namque in extricandis negotiis, quae non multo ante provisa impendebant, et in quibus mature facto, non consulto opus erat, sapienter omnia saluberrima excogitabat, quin diutius, animum huc illuc impellendo, in incertum haberet quidnam consilii caperet. At, quum spatium esset deliberandi, res impeditissimas statuebat aut restituebat cunctando. Neque id injuria. Saepe enim sero potentes, quamvis cito poenitet, qui in re dubia et gravi nimis cito decernit.

In condendis, abrogandis, derogandisque legibus, non muneris alienae voluntatis, sed testis suae, rei civilis prudentiam et usum satis superque significavit. Iustitiae tenax a recti proposito numquam animum deflexit, ut exteris etiam gentibus injiceret admirationem sui. Adversa fortuna graviter conflictatus, mentem adeo servavit aequam, ut in quibusvis aerumnis, periculis et inopinatis casibus perpetiendis invictam gesserit fortitudinem. Quam in extremo morbo, tametsi diutino longeque teterrimo, ne hilum quidem demisit et contraxit. Enimvero incredibili quodam animi robore septus, quam mortem fere omnes, ut horridam et immanem belluam expavescunt, hanc ipse adventantem, tamquam a Deo denuntiatam, sine repugnantia, sine trepidatione est amplexus, usque eo, ut non ex vita, sed ex diversorio in domicilium perpetuum videretur migrare.

Quum ei penitus in mente inhaeresceret, nihil tam esse deforme, quam ad summum imperium acerbi-

tatem adjungere, nihilque tam intolerandum, quam civibus non multo secus ac servis imperare, majestatem dominatus multis condimentis humanitatis mitigavit. Cujus rei nullum certius indicium, quam quod nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret, quemque benigne non exciperet, ejusdemque postulata vel querelas patienter non audiret. Atque haec non eo dicuntur, ut quispiam putet, in tanta comitate et indulgentia nihil loci dedisse sagacitati. Multis enim involucris tegitur, et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura, nec semper ea sunt, quae videntur. Quid igitur facilius, quam reperiri homines, qui simultatis, invidiae, quaestus caussa in dominatorum aures multa ficte aut simulate insusurrent, vel, assentatores versutissimi, quidvis perpetrantur et affectent, dum, quod volunt, consequantur? Quapropter sapiens rex non modo facilitatem et benignitatem in audiendo, verum etiam in decernendo et satisfaciendo diligentiam et cautionem sibi adhibendam intelligebat. Qua in re quid se facere par esset, intuebatur, non quid alii forent laudaturi.

Nihil reperiri tam praeclarum vel tam expetendum potest, quam moderationem animi non delitescere in tenebris, sed in oculis auribusque omnium gentium esse positam. Quamobrem mihi piaculo foret ea, quae de principis hujus lenitate ducuntur illustria, in lucem non proferre. Optimum ratus pro maleficis paullum supplicii satis esse regi, qui animum non exuit patris, in legum judiciorumque poenis obligatos saepissime misericordia et precibus molliebatur. Aliquanties se duriorem et inexorabilem exhibuit. Sed necessitate coactus, ut medicus ad urendum et secandum, sic

ad castigationem raro invitusque veniebat. Huc accedit, quod ad puniendum non iracundia, sed aequitate perducebatur. Nam facile sibi persuadebat, neminem, qui iratus poenam culpae imponit, mediocritatem illam, quae sita est inter nimium et parum, posse ita tenere, ut nec ei aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem imminuat. At in hoc quoque spectatum et magnum specimen dedit continentiae. Secum ipse volvens, omnium, qui summam imperii tenent, esse contumeliam et malivolentiam negligere improborum, neque animum vehementioribus perculsum concitationibus ad deteriorem partem applicare, maledicta et obtrectationes nihil pensi fecit, interdum contemptu curavit. Adeo se patriae irasci, et hanc magno suo damno peccata luere, nefas esse arbitrabatur! Quid quaeris? Non ita inhumano erat ingenio, neque tam imperitus rerum, qui nesciret, in potentia singulari, ut admodum magnum et difficile, sic maxime pulchrum et eximium sibi imperare, nihilque sanctius habere placabilitate atque clementia.

Hujus de liberalitate multa praedicantur. Sed hoc ego loco illa tantum, quam verissime potero, paucis absolvam, ex quibus facile conjici potest, hunc subveniendis populi necessitatibus tantum dedisse operae, quantum non indiligens deberet paterfamilias. Re quidem ipsa, nemo offensus fortuna, quem effusis largitionibus non recrearet. Nulla fuit publica inopia rei frumentariae, nulla communis calamitas sive a morbi contagione, sive a terrae motu illata, cui, quam celerrime potuit, non opitularetur. Neque hoc semel fecit, sed saepius, nec quadam gloria ductus, ut beneficus videretur, sed ut bonitati suae indulge-

ret. Multi enim multa faciunt, quae ab ostentatione magis, quam a voluntate proficiscuntur quae simulatio vanitas potius dicenda, quam beneficentia. Hoc quoque non praeteribo. Nonnumquam ejusmodi tempora incidunt, ut in civitatibus alii inopia bonorum, plures ambitione, multi odio suarum rerum, aut animi mobilitate incitati, vetera oderint, nova exoptent, mutari ac misceri omnia studeant, turba et seditionibus inconsulte ac veluti per dementiam utantur. Sed hi sunt fere, qui nihil cum animis suis reputant, in rerum perturbatione, praeter caedem, fugam, rapinas, aliaque foeda atque crudelia facinora, quae in cives ac patriam parantur, regni opes, licet florentissimas, pessumdari. Neque eo secius providens rex, simul atque se expedivit ex id genus civilibus procellis, curavit et effecit, ut tributa non penderentur graviora, neque aes alienum civitates conflarent. Exhaustis rebus praesto fuit suis opibus, ne quid detrimenti caperent privatorum fortunae. Sed et hoc memoria dignum. Quum integerrima essent ad pacem omnia, tantum abfuit, ut si quid pecuniae in aerarium invectae esset super, sibi vindicaret, ut maximis in lucris poneret in bonum populi hanc libentissime erogare. Ac sane aedificia publica accrevit vel ad concinniorem formam redegit: portus, quo commodius tutiusque naves accederent vel reficerentur, mari extruxit: paludes, ut salubritati aeris terraeque foecunditati consuleret, exsiccavit: vias, quae inter se provincias et oppida innectunt, alias novas aperuit, quasdam machinationibus igneo vapore impulsis reddidit expeditissimas, nonnullas, morte praeventus, inchoatas reliquit. Istuc est sapere, et

magnam adipisci gratiam et gloriam civium commodis utilitatique inservire, suamque famam incorruptam atque integram pecuniae studio anteferre. Quid ab eo sperandum, quid potius non extimescendum, qui procurationem publicarum rerum non dignitatem honestatemque, sed peculatum ant praedam putet?

Quibus factis, ne cui sit mirum, non minentibus suis perterreri populos, non commoveri, non sumptu exhauriri, esse quocumque veniebat sine cultu regio, nulloque pene corporis custode, tanta expectatio, ut cujusque generis homines ad eum cupidissime confluerent, et laetitiam agitarent effusissimam, sic ut difficile sit judicare, utrum regem, an hospitem recipernt, utrum magis eum revererentur, an amarent.

Sed quae ab aliis dicuntur sic persequamur, ut nihil, quod consignandum sit litterarum monumentis, praetermittamus. Huic ab adolescentia studia rei militaris grata fuere, ibique juventutem suam exercuit. Nihil habuit optatius pace, quae vel injusta utilior est, quam justissimum bellum: nihil sapientius existimavit, quam omnia verbis prius, quam armis experiri. Neque tamen patiens vigiliae, algoris, aestus, caeterarumque hujuscemodi molestiarum et asperitatum, exercitum praesertim pedestrem, quem mirifice auxit, in media pace, assimulata castrorum consuetudine, certaminibus crebris habebat intentum, perinde ac si hostes adessent. Hoc eo valebat, ut, militia per laborem usu percepta, paratus expeditusque ad acrius dimicandum pro patria, pro aris atque focis suis reperiretur, si forte belli gerendi necessitas incumberet. Profecto nihil est, quod militum animos

tam obtundat enervetque, quam otii diuturnitas. In acie autem versari et manu cum hoste confligere, detracta militari disciplina et exercitatione, nihil est aliud, quam ad certam internecionem concurrere, vel, armis impedimentisque abjectis, fuga salutem petere. Contra ea magnas saepe opes copiae haud ita magnae prostravere, ubi prudentia et scientia pugnandi accessit. Sed illuc, unde abii, revertor. Milites universos bene consulendo, modeste imperando, liberaliter indulgendo illexit, sibique benevolentia devinxit; duces amplissimis beneficiis, honoribusque quantis maximis affecit. Quo factum est, ut, obortis seditionibus et discordiis intestinis, ita se praebuerint strenuos fidosque, ut millies pro eo vitam profundere, quam ab signis discedere maluerint. Et quidem jure. Quid enim nequius aut impudentius, quam in principes beneficentissimos fidem sacramento obstrictam non servare?

Hisce virtutibus rebusque praeclare gestis, quas in transcursu tam arctatae paginae non expressimus omnino, sed quasi leviter adumbravimus, FERDINANDVS II per annos XXIX se regem praestitit egregium, simulque edocuit non metum armorum, non thesauros, non quaecumque dicere et facere audet licentia, sed pietatem, justitiam, benevolentiam, eamque libertatem, quae legitimis potestatibus moderatisque imperiis alitur ad salutem et conservationem, non ad pestem perniciemque, munimentum ac stabilitatem esse regnorum. Quo minime mirandum est, si vivens bonis honestisque fuerit carissimus, mortuus magnum sui desiderium reliquerit. Sed ex hoc potissimum memoriam sui quam maxime longam efficiet, quod FRAN-

CISCVM II haeredem sibi ita similem eduxit patriae, ut nemo eat inficias, hunc civium expectationi, qua nulla major fuit umquam, esse satisfacturum cumulatissime. Quod eventurum brevi, omnes confidunt: ego, quasi evenerit, praesenti gaudio cupiditatis meae fructum capio